

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Fe. 21.*

EXERCITATIO MEDICA  
DE  
VERTIGINE

*Quam*

SACROSANCTÆ TRIADOS AUSPICIO,  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI CLARISSIMI ET EXCEL-  
LENTISSIMI,

DN. DANIELIS SENNERTI,  
Philos. & Medicinæ Doctoris Experientissimi &  
in Celeberrima, quæ ad Albim est, Academia P. P. Soler-  
tiss. Facultatisq; Medicæ Senioris meritiss. ac p. t. Decani  
Spectatissimi, Dn. Præceptoris & Promotoris  
æternùm venerandi

*In Acroaterio Medicorum, ad diem 27. April.  
horis à 7. matut.*

Publico placidoq; Examini submittit  
GEORGIUS WOLFFIUS,  
Sedinø-Pom.

VVITTEBERGÆ,  
Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS GORMANNI,  
ANNO M. DC. XXVI.

EXERCITATIO MEDICA  
DE  
VERTIGINE

SACROSANCTE TRIUMPHI UNIVERSITATIS

MDCCCLXXXIII

DAVIDE WOLFF

Philos. & Medicinæ Doctoris

in Philosophiâ, Mathematicâ, Astronomiâ, & Physicâ

Professoris Ordinarii, & Publici Lectoris

in Philosophiâ, Mathematicâ, Astronomiâ, & Physicâ

in Philosophiâ, Mathematicâ, Astronomiâ, & Physicâ

in Philosophiâ, Mathematicâ, Astronomiâ, & Physicâ

GEORGII WOLFFII

PHILIPPO WOLFF



PRÆLOQUIUM.



Medicus, etsi plurimarum rerum scientiam, sibi necessario comparare debeat; tamen in ea sola non acquiescit; cum rerum contemplatio neutiquam Medici finis sit, sed sanitatis vel presentis conservatio vel amissæ restauratio. Ut verò hunc suum finem externum ritè consequi possit, habitu quodam principali instructum esse oportet, cujus beneficio remedia apta ad depellendas morborum causas invenire, vires quæ similibus conservare & adversus imminenti mala subjectum suum munire queat. Et sine tali quodam habitu impossibile est Medicum suum officium, dextrè exequi posse, quod sane necessitatem summam methodi medendi evincit, quemadmodum ipse Gal. suo proprio exemplo validissimè comprobat, cum pro comperto se habere scribit, non licere ullius artis scientiam nancisci, nisi & methodum quandam habueris, per universalia vocata theoremata, & in particularibus exemplis te exercueris. Atque cum hac instructus esset eos morbos curavit, quos neque ipse ante curaverat, neque à Præceptore curari viderat. Quoniam autem Medicus non hominem in specie sed Petrum & Paulum atque adeo nil nisi individua curat, absurdum non erit, si generica generi & specifica speciei accommodaverit secundum sententiam Aristotelis. Vel, ut Galeni verbis rem apertius dicam, in particularibus sese exercuerit, præsuppositis tamen generalibus. Nam quemadmodum ille jure optimo laudandus est, qui Arabum

lib. 9. meth.  
meden. c. 6.

lib. 3. m. m.  
c. 3.

1. Post. ana-  
lit. 5.

odiosam τὰς ἑλογίαν in generalem curandi rationem utilissi-  
mo compendio maximo artificio contraxit: Sic ille non ma-  
gnopere peccare videbitur, qui utrumq; modum conjungens u-  
niversalia diligenter meditatur, eorumq; usum in individuis  
experitur; cum historia & observationes Medica, Galeno teste,  
sint q. universalium praeceptorū παραδείγματα casusq; propo-  
siti & ficti proximè ad historias agrorum accedant. Itaq; &  
nobis liceat exercitii gratiâ casum proponere, illiq; praecepta  
medica accommodare, certa spe freti, aequum & benevolum  
lectorem omnia in meliorem partem interpretaturum & si  
quaedam crassa Minerva dicta fuerint, bono animo acceptu-  
rum.

*Faxis, alme Pater, per Filium in Spiritu S. ut hic labor  
meus meiq; in postum conatus omnes in sempiternam tui glo-  
riam Proximiq; salutem cedant, feliciterq; succedant.*

*Sit ergò hic Casus.*

**V**IR quidam natus annos 50. obe-  
so corporis habitu, catarrhis  
frequentèr obnoxius & sæpe de  
capitis gravitate & sibilo aurium conque-  
stus, quoties cætui hominum interest, o-  
mnia secum circummagi putat, & nisi ful-  
crum aliquodprehendat, se collapsurum  
metuit.

I.

**G**alenus, hæc vult observari & dignosci, primò quisnam sit  
affectus, deinde quid futurum sit præcognoscere, tandem  
curationem aggredi.

*lib. de diet.  
in acut.*

2. Juxta

## II.

Juxta hoc præceptum & nos in hujus affectus cognitionem descendemus.

## III.

Cum autem affectuum naturam per conjecturam tantum accipiamus, teste Gal. Hanc vero non nisi per signa assequi liceat Medico.

lib. 5. de sa  
nat. tuend.  
c. 19.

## IV.

Itaq; & nos oportet signa hoc in effectu paulò diligentius perpendere, ut ad affectus speciem, partem affectam & causam morbificam sine errore perveniamus nec in curatione aberremus.

## V.

Colligimus autem caput membrum omnium nobilissimum in hoc casu præter naturam esse affectum, id quod nobis omnia hæc signa indicant Catarrhus, gravitas capitis, sibilus aurium, &c.

## VI.

Quamvis autem caput diversis partibus constet: non tamen omnes partes, quæ constitutionem ejus absolvunt, in hoc proposito ægro afficiuntur; sed potissimum cerebrum, Officinam Spirituum animalium, quorum ope omnes in corpore nostro actiones exercentur animales, vitium fecisse, manifestum est, quod cum ex principalium partium nostri corporis numero sit, reliquis etiam quæ à cerebro suam, quoad sensum & motum dependentiam habent, propriam communicare poterit noxam.

## VII.

Porro quemadmodum ipsius cerebri læsio multiplex esse potest, sic etiam in præsentis ægro non uno afficitur modo, sed secundum substantiã intemperie nec tamè simplici, sed cum causa sua complicata, ad actiones proprias exercendas impotens redditur, languoremq; à causa sibi inductum, postmodum reliquis quæ Spiritum sensus & motus auctorem ex illo ceu à fonte quodam haurire necesse habent impertit.

## VIII.

Illud autem quod ægrum maximâ afficere molestiã videtur, vertiginem esse, ex eo constat quod illi omnia quæ partim

A 3

move-



moveri quidem apta, tempore tamen ingruentis paroxysmi re-  
vera quiescunt in orbem volubilia esse & circummagi videan-  
tur, persuasumq; sibi habeat se ipsum simul in gyrum celerrimè  
rapi.

*Nomen.*

*H p. 3. Aph.  
17. 23 31.  
Gal. 1. 6. de  
Sanit. tuen.  
c. 12.*

IX.

Et ut à nominis notatione, quæ saepe numero in ipsius rei  
perceptionem nos deducit, ordiamur: Vertigo Latinis à verten-  
do dicta, nomen accepit ab accidenti, propterea quod iis, qui  
Vertigine corripuntur omnia in gyrum verti videantur. Græ-  
cis Δίωσις ὄψεως τὸ δινεῖσθαι & Ἰλιγίσιος appellatur ubi sola existit  
circumgyratio, absq; visus obtenebratione; quando autem  
simul fit visio tenebrosa Σκότωση, σκοτόδιμος καὶ σκοτωμαλικὸν  
πάθος nominatur. Germanis dicitur in genere Schwindel.

*Excellen. Dn  
Hæses in l.  
3. j. st. p. 308.*

X.

Quæ tamen appellationes diversas hujus adfectus species non  
constituunt sed diversas hujus mali gradus pro ratione majoris  
& minoris adsignificant.

*Definitio.*

XI.

In genere sic potest definiri: Vertigo est symptoma, in quo  
ferè omnes actiones animales præcipuè vero Imaginatio & sen-  
sus communis, ob circularem Spirituum animalium motum læ-  
duntur & depravantur.

XII.

Symptoma esse rectissimè communis Medicorum Schola  
statuit: Verum cum eorum tria genera reperiantur & manife-  
stum sit, hoc non esse vitium in Excretis & retentis, neq; in qua-  
litate immutata, sequitur quod sit Actionis læsæ.

XIII.

At rursus cum actiones sint triplices naturales, vitales,  
animales & ex prioribus jam constet cerebrum esse affectum,  
in quo elaborentur & continentur spiritus animales, qui proxi-  
ma actionum animalium sunt instrumenta, facile inde colligi  
potest, quod actiones animales lædantur.

XIV.

Hoc modo cum exploratum habeamus actionem anima-  
lem esse læsam, multi vero & ferè immunerabiles sint affectus in  
qui-



quibus ipsa facultas animalis læditur; commodè in ulteriorem hujus symptomatis cognitionem perveniemus, si nobiscum consideremus quotuplices sint actiones animales? quot modis possint lædi? & quænam in hoc symptomate lædantur?

XV.

Actiones igitur animales sunt triplices aliæ ad sensum externum, aliæ ad motum, aliæ ad facultates principes pertinent. An vero harum una, an plures lædantur, paulò post videbimus.

XVI.

Actiones animales cum triplici modo possint lædi vel in excessu vel defectu vel depravatione: In defectu iterum vel Abolitione vel diminutione, inquirendum est quomodo hic lædantur.

XVII.

Non autem augentur vel abolentur aut diminuuntur sed depravantur, quia aliquid vitiosè agunt quod non debeant.

XVIII.

Verùm enim verò cum multa dentur symptomata, in quibus etiam istæ actiones animales depravantur, ante omnia nobis incumbit ut indagemus, qua ratione hoc symptoma ab aliis sit discernendum. Medicus enim antequam ægrotanti auxiliarem manum admoveat, ullamq; vel de causa vel curatione consultationem instituat, de morbo ejusq; specie certus esse debet, ne aliquando maximo cum ægrotantium incommodo famæq; suæ jactura unum affectum pro altero habeat ac curet.

XIX.

Odiosum autem esset omnia illa symptomata nominatim recensere in quibus actiones animales depravantur, & singulatim perpendere, quomodo illa omnia ab hoc affectu discernantur. Itaq; breviter nos expedientes dicimus hoc symptoma à reliquis omnibus in eo ipso differre quod hic tantum cerebrum & Spiritus afficiantur & omnia in gyrum ferri videantur.

XX.

Vnde patet facile accidere posse ut aliquando in hoc symptomate omnes ferè actiones animales, excepta memoriâ & ratiocinatione lædantur, quod præterea ipsâ experientia evincit  
qua

qua compertum vertiginosos in ipso paroxysmo errorem Phantasia agnoscere, & post paroxysmum omnium quæ acciderint recordari.

XXI.

Sunt quidem nonnulli qui Phantasia in Vertigine lædi pertinaciter negant, nihil curantes locum Galeni ubi dicit: Δίνας vocatur ὅταν ἡ κεφαλή περιφέρειται φαντασίας.

XXII.

Opinionem suam ita adhuc probant: Ubicunq; imaginatio depravatur, ut fit in Phrenitide & Melancholia, ibi nullo modo potest agnosci falsum; verum hic omnes errorem agnoscunt, & certò sibi persuasum habent res quæ videntur moveri revera quiescere. Idcirco sensum communem potissimum rem quiescentem pro motâ habentem, & externos sensus tantum affici putant.

XXIII.

Sed hi in eo potissimum falluntur, quod putant veri & falsi cognitionem provenire à Phantasia, cum illa potius opus ratiocinatricis sit, quam non ob quodlibet objectum falsum seu quemlibet errorem Phantasia lædi totam necesse est.

XXIV.

De sensu communi vero & externis concedimus quandoq; illos affici in Vertigine, sed his affectis semper & necessariò læditur Phantasia & non contra.

XXV.

In speciem autem quod ad visum attinet, hic interdum ut reliqui externi sensus depravatur; quandoq; etiam imminuitur & quæ obtenebratur, hoc enim spirituum vitium oculis communicatur cum spiritus animales rectâ lineâ in nervos influere haut possint, sed ob circularem eorum motum nervos præter labuntur, non aliter ac aqua in vase aliquo circulariter mota è vase non effluit, etsi illud perforatum sit.

XXVI.

Aliquando & auditus depravatur dum sibilum vel levemque fluctuationem obaudiunt quæ excitatur à vaporum cum spirituum commistione, pertingente usque ad meatum auditorium.

*Gal. l. 4. de  
rat. sicut. in  
morb. acut.  
t. 42.*

*Clariss. Sen-  
nerius in  
suis institut.  
p. 309.*

XXVII.

Deinde in nonnullis Vertiginosis olfactus, in aliis gustus læditur, teste Ægineta.

*Aeg. l. 3. c. 12.*

XXIIX.

Motus voluntarius quoq; non rectè sese habet cum Vertiginosi interdum in terram concidunt. Phantasia enim gressus animalis regit, unde accidit, ut læsa imaginatione consequenter lædatur motus & ægri collabantur aut ob defectum spirituum animalium, qui non quantum ad motum sufficit possunt in organa influere, aut ut Platero placet, cum omnia circumrotari videntur non habent ubi gressum fingant ægri.

*Gal. l. 3. loc. affect. c. 8.*

*De funct. l. 1. c. 7.*

XXIX.

Non autem de necessitate est semper & in quovis Vertiginoso has actiones omnes lædi sed pro ratione causarum magis vel minus agentium, hic vel ille sensus læditur.

XXX.

Sic si ab interna tantum causa excitetur Vertigo & oculi sint clausi solum imaginatio afficitur illèso sensu communi, quippe qui non agit nisi ab externo sensu motus.

*Clariss. Dn. Præses in suis prælektionibus.*

XXXI.

Quando vero à visu Vertigini occasio præbetur & sensus communis ex Phantasia afficitur: Spiritus enim Opticus quando rem circulari motu agitatum apprehendit species motus ei imprimitur, unde per consequens fit ut reliqui qui extra oculum sunt, & in cerebro adhuc stabulantur, commoveantur.

XXXII.

Ex his jam manifestum est varias dari Vertiginis differentias, inter quos tamen duæ maximè sunt notatu dignæ. I. Est quæ desumitur à gradibus hujus mali antea dictis, ubi nonnullis species circumgyrationis sine visus obtenebratione offertur: Aut tenebræ q. offunduntur; nonnulli pedibus insistere nequeunt, sed nisi suffulciantur cadunt, quidam, quamvis ægrè, attamen subsistunt.

XXXIII.

Secunda præ reliquis omnibus accuratè est observanda, qui magnam quoq; lucem adfert in curatione & à causarum varietate sumitur, ubi nim. Vertigo velaboritur à Vapore spiritus

B

anima-

Phan-  
nt re-  
  
e lædi  
Δίωος  
  
magi-  
nullo  
gno-  
ri re-  
qui-  
affici  
  
falsi  
oci-  
emli-  
  
uan-  
ariò  
  
t re-  
r &  
ica-  
pos-  
tur,  
n ef-  
  
em-  
spi-  
lito-  
  
De-

animales turbante, qui si in ipso cerebro generatur, Vertiginem κατ' ἰδιοπαθειαν constituit; si vero aliunde in cerebrum eleve-  
tur κατ' ἑτεροπαθειαν; quæ rursus varia est pro partium vaporem  
illum transmittentium varietate. 2. à Vasorum & meatuum ce-  
rebri angustia, quæ fit ab illorum compressione, obstructione &  
coalitu. 3. à Spirituum agitatione quæ absq; Vaporum permi-  
ssione à causis evidentibus & externis ortum habet.

XXXIV.

Hisce præmissis ulterius inquirendum quoniam hæc Verti-  
go sit reverenda quod manifestum evadit ex causis, quibus ne-  
glectis, morbi neq; præcaveri neq; tolli possunt.

XXXV.

Quantum autem ex causarum signis cognoscere licet vide-  
tur hanc Vertiginem κατ' ἰδιοπαθειαν seu per primarium cerebri  
affectum originem suam traxisse.

XXXVI.

Cognoscitur hoc ex præcedenti capitis gravitate, ex pro-  
pensione ad Catarrhum & sibilo aurium, deinde quod de nullo  
alterius partis affectu conqueratur, quod etiam frequens & con-  
tinua sit. Dicitur enim in casu proposito quod quoties cætui ho-  
minum interfuit hoc malo correptus est.

XXXVII.

Causa proxima & conjuncta hujus mali, ut in definitione  
dictum, est inordinatus & circularis spirituum animalium mo-  
tus, qui etsi aliquando in cerebro illiusq; arteriis & sinibus con-  
tenti citra vaporis permissionem non causis externis & eviden-  
tibus commoveri agitariq; possunt, tamen in præsentis ægro abs-  
que vapore & flatu non accidit, nam sibilus aurium flatum ali-  
quem inclusum fuisse arguit.

XXXVIII.

Est ergo causa αερινή vapor flatuosus circulariter  
motus, Spiritus animales secum rapiens & in consensum trahens,  
atq; hanc speciem falsam motus, rerum externarum vel proprii  
corporis Phantasiæ exhibens.

XXXIX.

Excitatur autem hic vapor flatuosus à debili calore nativo,  
qui

Causa.

Gal. 1. 3. de  
loc. affe. c. 8.  
Plat. Tom. 1.  
l. 1. c. 7.

qui in materiam quidem agit, & eam aliquo modo dissolvit, verum ob debilitatem non plane absunit, dissipat vel extra corpus propellit.

XL.

Flatui huic ac vaporum materiam præbet non sanguis, non bilis neq; melancholia vel serosus humor, qui humores alias tam calidi quam frigidi, teste Galeno loco antea citato Vertiginem excitare possunt, sed pituita in cerebro abundans, quam arguit fluxus humoris pituitosi per os naresq;, habitus corporis, temperamentum frigidum & humidum, quod consensu omnium 1. plurima generat excrementa ex quibus plurimi vapores naturæ cerebri & spirituum contrarii elevantur. 2. Obstruit poros & meatus cerebri neq; permittit vapores exhalare, unde accidit, quando illis non pateat exitus quod moveantur in gyrum.

XLI.

Pituitam quoq; arguit ætas quæ est Senectus in qua aliàs ob humidi radicalis consumptionem, calorisq; nativi imbecillitatem plurima pituita generatur, quod etiam innuit Hipp. quando dicit: Vertigo est malum senibus familiare ob spiritum vaporosum ex imbecillitate caloris naturalis & pituitæ copiam redundantem, motuq; inordinato impulsam.

XLII.

Pituita vero in cerebro abundans secundum Platerum non facit hoc refrigerando & humectando cerebrum, quo Vertigo magis impediretur quam promoveretur sed fluctuando hinc inde flatibusq; materiam præbendo. Hæc enim pituita in cerebro collecta illud undiq; complet & si corpus leviter moveatur, fluctuat, secumq; Spiritus in orbem rapit.

XLIII.

Porro non minimam generandi hujus humoris pituitosi, vaporum flatuumque ansam dare potuerunt res non naturales quas Galenus causas naturæ conservatrices & alteratrices nominat, quibus forsitan noster Patiens non recte usus fuit. Ex harum numero primò est aër, cujus constitutio frigida & humida, magnam in corporibus nostris humores increassandi, calorem nativum obtundendi & cruditates destillationesq; generandi vim obtinet, præcipuè vero si vicissitudine quadam aquilonia ejus constitutio aultrinam sequatur: Ab Austris enim

Bisla... pour ruyvsga humo-

Hipp. 3. aph.  
23. Galen. 31.  
in com. m.

Hip. 3 aph.  
ult.

Plat. Ton. I.  
l. 1. c. 7.

Clariss. D.  
Senn. in infl.  
l. 2. p. 2. c. 2.

humores funduntur & liquantur; ab Aquilone exprimuntur.

XLIV.

Credibile porro est non nunquam ægrum errorem commisisse circa assumptionem alimentorum non tantum in qualitate sed etiam quantitate & utendi modo & tempore peccantium, dum nim. priori cibo nondum concocto alterum humidiorum viscidiorumq; forsitan assumpsit & pleniore potu se invitavit.

XLV.

Præterea summo & otio nimium indulgit quo calor natus oppressus & plurima excrementa pituitosa collecta sunt, nam Galenus ait pauci motus faciunt morbos destillationum, fluxionumq; & Hipp. scribit: Somnus vigilia, utraq; si immoderata existunt, malum.

*Gal. l. i. de  
sanit. c. 8.  
Hipp. 2. aph. 3*

XLVI.

Humor noxius ita in capite cumulus & collectus, nunquam evacuatus forsitan fuit, quæ sanè evacuationis intermissio malum hoc maximè promovet, quod etiam Gal. testatur simile contingere posse iis, quibus consuetæ evacuationes per aures narsve opprimuntur. Et licet nonnunquam hæ evacuationes multis nondum consuetæ sunt, si tamen humor p. n. ibi resistat evacuationem sui indicat, quam hic æger neglexit.

XLVII.

Parte affectâ, symptomate, symptomatisq; causa, cognitâ, curationi meritò προγινωσκον præmittimus utpote quæ Artis Medicinæq; dignitatem tuetur, vulgi calumnias avertit, & agrorum erga Medicum fiduciam excitat, nec medicamenta θεῶν χείρας turpiter profanare permittit.

*Signa Pro-  
gnostica.*

XLVIII.

Affectus hic quamvis non sit lethalis tamen haud contemnendus, cum temperamentum partis nobilis afficiatur.

XLIX.

Vertigo hæc per essentiam in capite à frigido humore oborta difficilior erit curationis quam si per consensum à calidis producta fuerit.

Cum hujus Vertiginis causa non externa & evidens sed interna sit, gravior quoq; censeri debet.

si. Insu-

L I.

Insuper periculum est, ne in Apoplexiam desinat cum frequentiores habeat paroxysmos & per se adeo gravis sit ut æger lapsum metuat.

*Gal. 3. aph. 17. & 23.*

L II.

Tandem senilis ætas periculum auget cum curationem propter debilitatem cerebri calorisq; paucitatem & pituitæ continuam collectionem tam promptè seu Juvenis ætas non admittat.

L III.

Peractis his, methodicam instituamus curationem notatam ex Galeno in m. m. & lib. ad Glaucon. Heurnio Forresto, Clariss. D. Sennerto ut citò tutò & jucundè per duces, indicationes, scopos nobis propositos & monstratos persequi valeamus.

*Indicationes*

L IV.

Inter indicantia vero, à quibus sumuntur Indicationes, primas hic tenet partes ipsum symptoma, quod ob vehementiam, subitam sui indicat amolitionem; Secundas; Causæ, quæ similiter tollendæ ut æger ab incursu alterius paroxysmi quantum possibile præservetur: Semper tamen habito ad Vires respectu quæ quantum licet adhuc validæ conservandæ & confortandæ, amissæ verò recuperandæ, restaurandæq; sunt.

*Gal. 1. 8. m. c. 9.*

L V.

Quamvis enim sublatis causis facilè tollatur effectus, ut ita hac ratione primò in causis auferendis laborare deberemus: At tamen cum subitò ac tutò hic mederi oporteat curatio impri- mis dirigenda est ad id, quod maximè urget, & reliqua in indicando superat, quale hic est ipsum Symptoma.

*Gal. 1. 7. m. m. c. 12.*

L VI.

Duplicem itaq; hic affectus curam exigit unam in paroxysmo alteram extra paroxysmum.

*Curatio.*

L VII.

In paroxysmo danda est opera, quò inordinatus ille spirituum motus sedetur, Vapores & humores dissipentur & spiritus animales corroborentur.

*In paroxysmo.*

L IIX.

Præsente ergò paroxysmo statim ægrum supinum collocabimus

bimus in loco obscuro ac faciem generoso vino conspergemus,  
deinde mox sequens adamentum naribus admoveri curabi-  
mus.

R. Sem. nigel. ℥i

Spec. diamb. ℥i

moschi, ambræ ā gr. j

F. Pul. subtilis.

Includatur nodulo & aceto conspergatur. Præterea &  
hoc linimento nares inungantur.

R. ol. major, rosismanni ā ℥j

NM. per express. ℥℥

M.

LIX.

Interim manuum carpi & cubiti diligenter fricentur & sub-  
inde aspergantur hac Aqua.

R. Aq. rosar. ℥ iiii

Aceti rolat. ℥℥

Ol. cinam.

salviæ ā. g. iiii

M. & agitetur probè.

LX.

Præparari quoq; potest hic sufficitus qui pro discutiendis  
vaporibus & humoribus maximè commendatur.

Resp. Aq. beton. ℥j

Aceti ℥ iij

Anis. p. j.

Verben. p. i ℥

Bulliant simul & fumus attrahatur per nares.

LXI.

Ori masticandum quoq; indatur frustulum cinam; aut ma-  
cis, aut rotula una diamoschi dulcis & diambæ.

LXII.

Si vero nec his paroxysmus, cedere velit intrudatur ægro  
suppositorum quod vulgò vocatur acutum.

Vel si patiens ceter admittere vellet longè commodius fo-  
ret si sequentem clysterem sibi infunderetur.

Resp.



R. Mercur. Beton.

Malvæ. major.

Althe. ā M j

Centaur. minor.

Serpil. ā M ʒ

Fl. Anethi

Chamomel. ā p. ij

Sem. carvi

Cymin. ā ʒ ij

Concisa coquantur simul in q. s. aq. s. Colat. accipe ʒ j ad-  
de Ol amygd, dulc.

anethi

mellis rosac. ā ʒ j

Hieræ simpl. ʒ ʒ

Sales communis ʒ i

M. F. enema.

LXIII.

Ægro hoc modo à paroxysmo liberato viribusq; non nihil restitutis, altera cura extra paroxysmum est suscipienda, in qua unice est laborandum ut causæ omnes removeantur, quibus sublatis alteri paroxysmo viam ita occludimus, ne æger amplius hoc malo tentetur.

*Extra paro-  
xysmum.*

LXIV.

Respicendum itaq; ad intemperiem cerebri frigidam & humidam quæ alterationem per contraria indicat Humor & Vapor in capite p. n. collectus sui evacuationem & dissipationem postulat, pars affecta deniq; confortationem requirit.

LXV.

Quod autem sine convenienti auxiliorum materia fieri nequit, quam è triplici petimus sylva, Pharmaciâ nim. chirurgiâ & Dieta.

LXVI.

Pharmacia largitur nobis medicamenta humorem hunc pituitosum crassumq; partim præparantia, calefaciendo, siccando, incidendo discutiendo, partim è corpore & capite evacuantia, partim cerebrum spiritusq; animales ad naturalem statum, reducentia & corroborantia.

*Pharmacia.*

67. Primò

## LXVII.

Primò horum scopò inserviunt pleraq; Cephalica calida  
 ceu sunt: simplicia, rorismar. meliss. major. betonic. organ. ruta:  
 salu. flores Stach. arab. lavend. lili conval sem. amisi, fenic. fi-  
 leris mont. nigel. carvi. NM. macis; rad. Pæon. ireos florent.  
 Cariop. Composita, Syrup. de Stach. meliss. beton. pæon. cala-  
 minth. mel anthosat: &c. horumq; conservæ, species & pulv.  
 Diamb. diam. dulcis aromat. rosat. dianis. &c.

## LXIX.

Ex quibus variæ remediorum formulæ componi possint  
 veluti hoc decoctum ad humorem peccantem præparandum &  
 purgationi obedientem reddendum.

*Medica-  
 menta præ-  
 parantia.*

R. rad. pæon.

fenic a ʒʒ

fol. beton.

hylopi.

major.

salviæ a M ʒ

Sem. anisi

fenicul.

carvi

anethi a ʒij

Fl. rorismar.

Stachad. arab a p. ij

Coquitur in aq. s. colat. R. ʒ vij

Syr. de beton.

De Stachad. s. a ʒʒ

M. pro duabus dosibus

quarum unam sumat horis. duabus ante prandium, alteram horis  
 tribus a prandio.

## LXXI.

Cum vero humor pituitosus ut plurimum lentus & crassus  
 sit ac unico præparantivix obediat, sequenti die hoc quoq; adij-  
 ciendum censemus.

R. Oxymel. squillit. ʒ ij

Syrup. de Stachad.

de Hyssopo a ʒʒ

Aq.

Aq. Beton.

rorismar.

salviæ ā ʒ j.

M. F. haustus.

Qui ægro diluculo est propinandus & reiterandus, seu aliud præparans est adscribendum.

LXX.

Humore peccante sic præparato, purgatio instituenda medicamentis Phlegmagogis vel simplicibus ex quorum censu sunt Agaricus, turbith, Mechoacanna, cococynth. sem. Carthami. Vel compositis usualibus ut Electuar diaphæn. spec. diatur: pilulis cochiis aureis, Alephang. arab. lucis de agar. asseireth, Agarici trochisc.

LXXI.

Ex his jam huic ægro pro lubitu vel decocta vel Pilulæ vel Boli vel Pulveres possunt præparari Decoctum, potest tale esse quæ ebibat Patiens 6. horis ante prandium.

R. rad. fenic ʒʒ

pæon. ʒ ij

Hissopi M ʒ

Fol. fen. el ʒʒ

Sem. anisi. reuic. ā ʒʒ

Coq. in aq. s. In Colat. s. q.

infunde Agar. trochis ʒ ij per hor. 8.  
coletur iterum adde Mellis rosat.

solut ʒʒ

M. F. Potio.

LXXII.

Verum cum materia peccans non hæreat in primis viis commodiores hic videntur boli & pilulæ utpote quæ solidæ sunt & diutius in ventriculo morantur ideoque facilius est partibus longè distitis materiam vitiosam attrahere possunt. Conformentur ergo Pilulæ pro nostro Patiente sequentes.

R. Mass. pil. Cochi. ʒ ij

Aurear. ʒ j

Trochis. alhand. gr. iij

Cum aq. major. F. pul. n. 19.

C

*Medica-  
menta pur-  
gantia.*

*Dorncretius  
de Purgatio-  
ne.*

Si

Si vero pilular. usum abhorreat & bolo magis delectetur,  
sequentem sumat.

R. Agar. Trochiscat. ℥ iiij

El. Diaphanic. ℥ iij

Diacathol. ℥ ij

M. F. Bolus.

Consperatur pulv. sacch. albi quem devoret 5. horis  
ante prandium.

LXXIII.

Cum autem vix ulla datur Electiva purgatio que non ali-  
quam corpori humano præsertim si senile sit noxam imprimat,  
commodè sequenti Electuario eam deleri simulq; caput robo-  
rari posse existimamus.

R. Theriac. ℥ j

Conser. flor. salv. ℥ ℞

rosar. ℥ j

Cum melle, anthosat.

F. Elect. de quo, sumat æger nucis magnitudine.

LXXIV.

His ita peractis ipsam partem affectam particulariter eva-  
cuandam esse existimamus, cum sola purgatione per alvum, tam  
pertinax materia è capite vix auferri possit. Itaque per os  
naresq; utpote propiores & percliviores vias, quicquid residui  
est deducamus; Errhina, masticatoria, commodos huic humo-  
ri ductores assignabimus. Ut.

R. Succi major.

betæ ā ℥ i ℞

Sem. nigel. ℥ i

piper. contus. g. v.

M. F. Errhimum.

Deinde

Deinde hic apophlegmatismus leniter pituitam per ostra-  
hit.

R. betæ  
origan.  
major. beton.  
Zing. Stæcha. arab. ā ʒʒ  
mastic:  
gran. pæon. ā ʒ ij  
NM. ʒ j.

Contusa coquantur in l. q. vini albi  
F. gragarismus.

LXXV.

Licet autem hæc remedia omnia directæ causæ sint op-  
positæ, eamq; procul dubio submoveri possint, tamen cum et-  
iam aliunde affluxus facile fieri queat, in corpore præsertim seni-  
li, quod non tantum parte sed toto quoq; pituita abundare solet,  
multum utilitatis afferre posse credimus craterium seu Fonticu-  
lum brachio inustum, qui non tantum pituitam aliò irruentem,  
sed eam quæ in capite collecta est intercipit & revellit.

*Chirurgia.*

LXXVI.

Porro ipsam partem affectam corroborandam esse tam  
internè quam externè qui vis intelligit, ut pristinam naturæ suæ  
dignitatem recipiat & irruentibus humoribus quantum fieri pot-  
est sese opponat. Inspergatur ergo capiti hic Pulvis,

*Medica-  
menta Cere-  
brum corro-  
borantia.*

R. Stöch. arab.  
beton. major.  
rad. pæon.  
Ligin. aloes  
NM. ā ʒ ʒ

moschi  
ambrae ā g. iij  
M.

Applicetur deinde & hic pileolus.

R. Flor. rorismar.  
Stæchad. arab. ā p. j

C 2

Fol.

Fol. major. meliss. serpil. citrini ā M ℥  
macis, NM, cariophyl.

Styrac. calam. opl. ā ℥ j

mosch. g. ij

ambrae g. iij

Infuantur Sindone rubra.

Si res exigit, etiam Cerota & Emplastra Cephalica, suffitus, Odoramenta in paroxysmo ā nobis annotata, & alia huic scopo inservientia in progressu temporis addemus.

LXXVII.

Internè adhibenda, possunt varia medicamenta ex cephalicis supra thes. 67. enumeratis concinnari, ut Electuaria rotulae, morsuli &c. Aeger autem sequenti utatur Electuario.

R. Conserv. rorismar.

rosar. ā ℥ ℥

Spec. diamb

diamosch. ā ℥ j

Cum syr. beton. F. Electuar.

LXXVIII.

Porro cum hoc malum pertinacius non rarò præsertim in senibus in Apoplexiam degenerare soleat & nos etiam idem in nostro patiente metuimus, præservationis ergò singulis mensibus ante novilunium cum aq. Lavend. vel Cerasor, hunc pulverem offeremus.

R. Succini præpar. ℥ ij

Spec. diarhod. Abba. ℥ ℥

rad. pœon. ℥ ij

F. Pulvis.

LXXXIX.

Sunt deniq; ut hoc obiter saltem addam, medicamenta quædam quæ à specifica proprietate in Vertiginis malo cum mirabili successu adhiberi perhibentur: qualia sunt rad. Doronici, quas comedere solent contra Vertiginem qui in Alpibus damas persequuntur. Bombyces exsiccati & in pulverem redacti capitisque Vertici inspersi; Pœonia radix suspensa aut aliis medi-

*Medicamen-  
ta quædam  
occultâ pro-  
prietate a-  
gentia.*

medicamentis admista, Betæ nigræ succus temporibus illi-  
tus: Stercus Pavonum in vino per aliquot dies infusum & exhi-  
bitum, &c.

LXXX.

Sed frustra cum morbo medicamentis pugnamus si æger  
diœæ immemor sine lege & delectu, quibuscunq; obviis ciba-  
riis sese exsaturare vellet, & in reliquis rebus non naturalibus,  
peccandi libertatem sibi sumeret, Itaq; & hanc in subsidium ad-  
vocamus & ægro præcipimus ut i. Aerem eligat temperatū ma-  
gis tamen ad calidum & siccum inclinantem non crassum, ne-  
bulosum aut ventis præsertim Austrinis agitatū, qui si tempo-  
ris ratione talis naturā non est, arte talis est efficiendus utpote  
suffumigationibus aromatum & rerum calidarum veluti sint  
Flores Lavendul: bacca juniperi, cariophil. cinam. succinum,  
thus, styrax calamita Benzoe, &c. vel sequenti Fumigio

R. Benzoes.

Styrac. calam. ana ʒ i j.

Carippli. ʒ iij.

Gran. Juniper. ʒ ss

Fl. lavend. ʒ ij.

Contundantur crassiusculè F. Pulvis pro suffitu qui in carbones  
candentes injectus mirificè spiritus animales recreat, aëremque  
repurgat.

LXXXI.

Cibus itidem causæ vertiginis sit è diametro oppositus,  
utatur ergò cibus concoctu facilibus & sanguinem purum gene-  
rantibus, quales sunt ova recentia sorbilia & ex his parata ju-  
scula, carnes pullorum, caponum, perdicum Avicularum mon-  
tinarum, qui condiantur aromatibus calefacientibus & siccan-  
tibus veluti sunt piper Zingiber cinam. Maces, crocus, simili-  
ter & iis quæ flatus discutiunt, ut sunt cuminum, carvi, carda-  
momum, majorana, &c. e contra vitet æger omnia alimenta dif-  
ficilis concoctionis & pravi succi ac quæ vaporibus cerebrum  
implere possunt ut sunt Fabæ, pisa, & alia leguminū genera, lac,  
pisces viscosi, caro suilla, conchyliā omnia castaneæ, avellanæ,  
nucis rancidæ, allium porrum, cepæ, sinapi raphanus, &c.

C 3

Potus

Dieta.

LXXXII.

Potus ei sit Cerevisia non multo lupilo condita quæ alias caput petit: Vinum tenuë & album, non vetus, concedi potest, sed parcè bibendum, ad concoctionem meliorem promovendam & vires restaurandas.

LXXXIII.

Exercitatio corporis moderata quæ fit Ventriculo vacuo, huic patienti non est incommoda, illa enim calorem auget, qua mediante alimentum non solum in ventriculo, hepateq; tandem concoquitur, paucis relictis cruditatibus, sed etiam in universum corpus feliciter distribuitur, quin & iis meatus corporis laxantur, undè excrementa in venis residua vel persudorem vel insensibilem transpirationem excernuntur.

LXXXIV.

Somnum nimium fugiat præsertim diuturnum & qui à cibo statim instituitur, quo corpus redditur torpidum & segne, crudelitibus & excrementis oppletur.

LXXXV.

Studiosè quoq; vitet loca alta & præcipitia aspectum rerum celeritè motarum, & circum motarū, ut rotas & impetuosam flumina: Turbam & cæsus hominum hinc inde ambulantium & moventium.

LXXXVI.

Alvus semper sit aperta ut singulis diebus officium suum faciat, aliàs Arte est irritanda.

LXXXVII.

His ritè observatis sanitatem ægro brevi redituram speramus imprimis si auxilium divinum ab utraq; parte imploraretur sine quo vix laudabile quicquam perfici potest:

Nam

*Ni DEUS affuerit, viresq; infuderit herbis*

*Quid rogo dictamnis, quid panacea juvenis*

**F I N I S.**



Προσφώνησις

AD

*Prestantissimum, Politissimum atq;  
Literatissimum,*

**Dn. RESPONDENTEM,**

*Amicum & Fautorem meum singula-  
riter dilectum.*

**D***H variis curis, per q̄ agmina magna laborum,  
Præmia mortali vendere digna solent.*

*Scilicet omne bonum, quanto præstantius in se,  
Majoremq̄ decet laudis habere typum;*

*Tanto majores ausus, curamq̄ requirit  
Majorem, quam non quisq̄ adhibere.*

*Næte digna facis quod nunc impendere tantam  
Curando Cerebro non renuas operam.*

*VOLFFI, dum medicâ, rapidæ vertiginis arte  
Naturam expendis: noscere nempe studes.*

*E cerebro ut tantam possis depellere cladem,  
Pellere perge: labor præmia digna dabit.*

*Scripta*

*à*

M. Johanne Scharfio,  
Saxonæ Facult. Phil.  
Witteb. Adjuncto.

AD

S. n. de li-  
bert. t. ff. d.  
man. vind.  
Perf. sat 5.

AD EUNDEM,

UT quondam servos fecit *Vertigo* Quirites  
Juraq; vivendi liberiora dedit.  
Hic tibi libertas venit hac *Vertigine* morbos  
Curandi, & Medici jusq; fidesq; boni.  
Te Medicum *Vertigo* probat; quam lemmate do-  
Publicitùs vegeti discutis Ingenij. [Ac,  
Phillyrides Chiron sis, arte Machoana vincas,  
Atq; tuam *VVolfi* sentiat æger opem.

*Amicopl. estiraando*

*C. Qmaw F.*

JOACHIM Hammermeister.



Ug 576

ULB Halle 3  
004 814 231





f

551

V077 m







EXERCITATIO MEDICA  
DE  
VERTIGINE

*Quam*  
SACROSANCTÆ TRIADOS AUSPICIO,  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI CLARISSIMI ET EXCEL-  
LENTISSIMI,

DN. DANIELIS SENNERTI,  
Philos. & Medicinæ Doctoris Experientissimi &  
in Celeberrima, quæ ad Albim est, Academia P. R. Soler-  
tiss. Facultatisq; Medicæ Senioris meritiss. ac p. t. Decani  
Spectatissimi, Dn. Præceptoris & Promotoris  
æternum venerandi

*In Acroaterio Medicorum, ad diem 27. April.  
horis à 7. matut.*

Publico placidoq; Examine submittit  
GEORGIUS WOLFFIUS,  
Sedino-Pom.

VVITTEBERGÆ,  
Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS GORMANNI,  
ANNO M. DC. XXVI.

